Iustificatur apprehensio Beneficiorum vacantium.

NEC minus iusta (si benè ponderetur) est altera controuersiæ pars, de custodiendis per eundem Oeconomum fructibus, & bonis Ecclesiarum vacantium.

Nam quod pertinet ad fructus, clari iuris est, eos esse quid diuersum à beneficijs, Galder cons. 6. circa medium, vers. *Item constat, quod aliud &c.* de probat. Rot. decis. 29. nu. 5. par. 2. recent; fructus enim sunt quid temporale, & prophanum, vt in fortioribus terminis probant Abb. nu. 22. Felyn. num. 13. Dec. nu. 99. in cap. cum M. Ferrariensis de constit. & in puncto Marsil. colum. de re reddit. Eccl. par. 3. cap. 32. num. 10. Menoch. cons. 849. nu. 20. vol. 1. Camil. Borell. in sum. decis. 1. par. 1. tit. de benef. & illorum collat. nu. 47. Lap. alleg. 81. nu. 9. Idcircò Prælati, & Clerici, etiam regulares possunt liberè de illis disponere, & sic soluere propria debita, dotare consanguineas, donare ex causa remunerationis; vt pluribus fuit resolutum coram Gregorio XV. decis. 401. num 1. & seqq. per totam, ac etiam eos vendere, & per quemcunque contractum contractare cum laicis; Rodean. de spol. q. 14. nu. 14. & 15. Nauar. cons. 11. de re. Eccles. Garz. de benef. par. 1. cap. 5. nu. 29. Quod non liceret absq; labe Simoniæ, si spiritualitatem continerent, vel essent spiritualitati annexi, cap. 4. cum ibi notat. de Iudic.; propterea, si Princeps secularis vult manus in illis apponere, non potest dici, quod falcem in messem alienam immittat, quia cum ius suũ tueatur, eoque vtatur, nemini iniuriam facit, l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniur. l. nullus, ff. de reg. iur. Nec quod sit incapax talis iuris, & illud præscribere nõ possit, vt per Thes. decis. 131. num. 6. Præsertim stante rationabili, & laudabili scopo talis consuetudinis tuendi bona Ecclesiarum ab vsurpationibus, & inuasionibus, quæ tempore

pore vacantium sequi possint, & obuiandi scandalis alias de facili sequuturis, tempore apprehensionis faciendæ per prouisum de ipso beneficio, vt notat idem Thes. post alios per eum allegatos, alleg. decis. num. 7. & 8. & num. 12. arguendo à fortiori.

Nec obstat Text. in cap. cum vos de offic. ord. quia non loquimur, quando Episcopus concurrit cum supremo Principe habente iurisdictionem in omnibus temporalibus, sed solum procedit quando lis est inter Episcopos, & Patronos laicos priuatos, qui cum careant omni Iurisdictione, iuremerito in eo casu cura deputandi Oeconomos, & Custodes demandatur Episcopis, non autem Patronis; & hinc est, quod DD. affirmantes huiusmodi ius mortuo Prælato transire in capitulum, in eo fundantur, quia in idē Capitulum trāsfertur Iurisdictio, Franc. Marc. decis. 552. num. 3. Verùm in Statu Mediolani circa hoc non est immorandum, quia stante Oeconomo (de quo non controuertitur) cessat ius, alias competens alijs circa administrationem, tùm ex iure cōmuni, tùm ex forma Sac. Concilij Tridentini, quia semper de iure præfertur Oeconomus, cap. quoniam, distinct. 75. glos. cap. illud, 12. q. 2. Imol. cap. cum vos, nu. 8 vers. Ecclesia verò de off. ord. Abb. cap. bonæ num. 11. de appell. vbi dicit custodiam hoc ordine dari. Primo, Oeconomo si adest. Secundo, Canonicis, si reperiuntur idonei. Tertiò, Clericis, modo pariter sint idonei. Postremò, Archiepiscopo.

Quod verò pertinet ad alia bona, cū in toto Ducatu Mediolani vigeat antiquissima consuetudo apprehendendi per Oeconomum Regium, & tenendi possessionem, seu tenutam beneficiorum vacantium, etiam pertinentium ad collationem ordinariorum, quousq; vacant, vt plenè probatur ex libris Oeconomorum, & Subœconomorum, & ex aljs documentis, & attestationibus, quorum dantur copiæ autenticæ in particulis necessarijs, quibus plena habenda est fides, ex supra allegatis; à fortiori subintrat dispositio text. in cap. General. §. fin. de elect. in 6., in quo

Custo-

custodia, Aduocatio, & defensio Ecclesiarum vacantium conceditur laicis, quibus competit, vel ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine, dummodò ab vsurpationibus abstineant, & caueant, ne bona dilapidentur; Cui Constitutioni emanatæ in secundo Concilio Generali Lugduni celebrato, (vt ex temporum computationibus satis apparet) centum, & amplius annis, post decretalem, cap. cum vos. de offic. ordin., Magis illi (si opporteret) standum esset, quàm huic, cum posteriora semper derogent prioribus, si se inuicem non compatiuntur.

Nec obstat, quod Text. in d. cap. Generali &c. loquatur de Beneficijs patronatibus, & eorum Patronis, nos vero disputare de beneficijs liberæ collationis.

Quoniam hæc ratio differentiæ (quidquid sit in personis priuatis) cessat in Princip. Catholicis, qui ad hoc sunt à Deo dati in terris, vt tueantur, nedum Ecclesiam Vniuersalem, sed etiam Ecclesias omnes particulares, cap. Principis Seculi 23. quæst. 5. cap. Boni Principis 96. distinct. cap. Tributum 23. quæst. 8., cap. Maximinus 23. q. 3. & latè probat M. Anton. Gen. in pract. Eccles. quæst. 63. num. 2. & 3. Addens Imperatorem iurare ad hanc protectionem exhibendam, in clem. 1. de iur. iur.

Res enim, & personæ Ecclesiasticæ in tuto esse non possunt, nisi eas Regia, & Sacerdotalis regat, & defendat potestas, d. cap. Principes sæculi, & cap. res, q. 5. Et hinc est, quod Reges Hispaniarum, & cæteri Catholicæ Reipublicæ Supremi Principes, constituti sunt Protectores decretorum Sacri Concilij Tridentini, in sess. 25. cap. 20. ibi, *Ad pietatem, religionem, Ecclesiarumq; protectionem existant*, & antea, idem fuit sancitum, in l. fi. C. de Sum. Trin. & Fid. Cathol. & Authen. quomodo oporteat Episcop. col. 1. vbi dicitur Regiam potestatem ad hoc inter cætera esse institutam, vt Sanctorum Patrum decreta Saluberrimæ executioni demandari faciant, & inuiolabiliter obseruari; quod etiam docent Card. Bellarm. lib. 3. cap. 18., & Ant. Cuch. lib. 2. Instit. Marin. tit. 3. de Concil. Oecumenico num. 36. ibi,

Ille à Principibus rationem sit exacturus, qui eorum potestati suam Ecclesiam comendauit, quæ sunt formalia verba dicti cap. Principes sæculi in fin. 23. q. 5. Cum ergo manus Regia sit murus Ecclesiæ, Pax Clericorum, ac propugnaculum, & præsidium Christianæ Religionis, nulla ratione potest id ius Regibus denegari in Ecclesijs existentibus in suis Regnis, quod patronis laicis conceditur in patronatibus, vt latè quoq; (licèt ad aliud propositum) fuit supra comprobatum.

Minus negotium facit, quod Concilium Tridentinum sess. 25 de reform. cap. 9. §. Patroni, abroget huiusmodi consuetudinem.

Primo, quia Concilium non comprehendit prærogatiuas pertinentes ad Reges, vt legitur in eodem capit. 9. §. relinqui patronatus.

Secundo, quia Concilium in dicto §. Patroni loquens quando Patroni laici se ingerunt (idest per viam illegitimam fructus exigunt, & illos sibi vsurpant, vt Sacra Concilij Cõgregatio pluries est interpretata) concordat cum dispositione cap. Generali §. fin. de elect. in 6., in quo vsurpationes quoq; damnantur, & ideo non potest allegari contra Oeconomum Regium, qui legitimè fructus exigit, non vt sibi, vel Regi acquirat, sed vt eos Ecclesijs, & successoribus in beneficijs conseruet, & restituat, vt experientia docet &c. Et est præcipuum Oeconomi officium, Lap. alleg. 81. num. 8. & 9.

Minus obstat, quòd Text. in dicto cap. Generali §. fin. debeat intelligi de consuetudine approbata à Papa.

Primo, quia aut hæc consuetudo est valida sine confirmatione Papæ, aut non, si primum habemus intentum, si secundum destrueretur dicta decretalis, quia accedente confirmatione, non esset amplius consuetudo, sed noua concessio, quoniam confirmatio Principis de actu inualido habet vim nouæ concessionis, Felin. in cap. inter dilectos num. 14. de fid. instrum. Dec. cons. 183. num. 8. & cons. 341. num. 7. in medio, vers. *Sed in casu nostro*, Paris. cons.

19.

61.num.15.vol.1.Surd.conſ.262. num. 67. vol. 2. & Rot. deciſ.513.nu.6.p.2. recentior.

Secundo, quoniam lex ita interpretari debet, vt caſus magis dubitabilis in ea decidatur Abb. in cap. cum in iure primo not. de elect. Dec.in l. quoties, idem ad fin. ff. de reg. iur. At ſi dicta conſtitutio in cap. Generali &c. intelligeretur de conſuetudine approbata à Summo Pontifice, decideretur caſus dubitatione carens, quia non eſt probabilis dubitatio, quod conſuetudo à Papa confirmata in Beneficialibus ſit valida, idcirco debet omninò recipi altera interpretatio, quod loquatur de conſuetudine indefinitè, quia ſic caſum magis dubitabilem excludit, iuxta l. quod labor ff. de Carbon. edict. & l. Ancillæ C. de furt. cum vtrobiq; notat.

Tertiò, quoniam ita tenent quamplures grauiſſimi DD., præſertim Specul.lib.4.tit.Ne Sed. vac. num. 6. qui limitando præcedentia eius dicta expreſsè approbat hanc conſuetudinem à nonnullis Principibus enunciatam, quod etiam faciunt addentes, ibi, in verbo, *Hoc conſultiſſimo*, dicentes Specul. debuiſſe allegare cap. Generali, de elect. in 6.

Abb. in cap. vt præteritæ, ad fin. de elect., dicens *dictum Capitulum Generali loqui generaliter*, & ideò generaliter intelligi debet, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, l. de præter. ff. de public., & l. 1. & l. generaliter ff. de leg. præſt. Iaſ. in l. non dubium num. 38. C. de legibus. & reſponſio exaduerſo data, quod loquatur de patronis, non ſubſiſtit ex ſupra deductis, Io. Syl. de benef. par. 2. q. 23. num. 37.

Ferret. conſ. 142. per totum, cui pariter ex paulò ante allegatis non obſtat conſideratio patronatus, vel Concilij Tridentini; ex aduerſo facta loco reſponſionis.

Lup. in introduct. Rubr. de donat. inter vir. & vxor, ſub num. 28. Nec refragatur, quod ſe fundet in authoritate Specul. ex aduerſo reſpondetur, quia Specul. pro nobis clarè militat, vt dixi.

Amad. de Ponte in quæſtione, quis ſit Iudex, in cauſ. fæud. col. pen.

pen. verſ. *Ex generali*, cui ſimiliter, nec patronatus, nec Concilij diſpoſitio ex aduerſo ponderata, aliquod negotium facit ex ſuprà allegatis.

Franc.Marc.deciſ.90.num.5.par.1.& deciſ. 552.num.4.par. 2. loquens etiam ſecundum ius commune, ac etiam de iure particulari Galliæ, vt colligitur ex eius dictis num 5 ibi, *Et maximè*, cuius dictionis natura eſt exprimere caſum minus dubitabilem, & includere magis dubitabilem, l. quis ſe patris, & ibi not. C.vndè liber. gloſ. in l. illud ff ad leg. Aquil. Iaſ. in l. pro hærede § 1. circa principium ff. de acq. hæred.

Theſ.deciſ. 131.per totam, in quà non legitur verbum, quo ipſe ſenſerit hanc conſuetudinem eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, vt gratis ex aduerſo dicitur, quia tunc impium fuiſſet, decidere reductionem beneficiorum poſſe fieri, & licet Gaſpar Ant. eius filius in additione id dicat, attamen id facit, arguendo ad partes, idcirco cum in fine concludat, quod eius Princeps, ſi vellet, poſſet id facere, & vti ſua, & ſuorum anteceſſorum obſeruantia, multo magis id admitti debet in Ducatu Mediolani, in quo viget eadem obſeruantia, & ceſſet ratio ſpoliorum, & authoritas Nuncij Sedis Apoſtolicæ.

Et cum ex ſupra ponderatis conſtet, fundamenta præcipua prædictæ deciſionis, ac principaliores authoritates ſubſiſtere, & veritati conſentaneas eſſe (quidquid ex aduerſo dicatur) iure eam ſequuti ſunt.

Carol.de Graſſ. de effect. Cleric. effect. 1.num. 397.

Et Camill.Borel.in ſum.deciſ.tit.20. de benef. collat. nu. 46. & 47. & ante eos eiuſdem opinionis fuerunt.

Archid. dicto cap. Generali, ſub num. 1. in verbo guardiam exemplificans de conſuetudine Parmenſi, & Florentina; ſicuti etiam faciunt Io. Andr. ibidem ſub num. 3. verſ. patet exemplum, Ancar. dicto cap. Generali, num. 6.verſ. guardiam num. 5. in fin. verſ. qui autem.

Nec refert, quod Borel. in loco præalleg. nu. 47. limitet quo ad fructus, quia non contendimus Oeconomum habere

poſſeſ-

possessionem Ecclesiarum vacantium, sed solum esse custodem fructuum, & bonorum. Aliud enim est custodire fructus, aliud regere, vel possidere Ecclesias, Lup. dicta alleg. 81. num. 8. & 9.

Et prædictorum opinio eo magis recipi debet, tum quia est corroborata antiquissima obseruantia, quæ efficit, vt standum sit opinioni ab ea canonizatæ, vt pleno calamo supra probaui, tum quia fructus percipi nō possunt, ante apprehensam possessionem. Paris. de resignat. benefic. lib. 10. q. 6. num. 8. Quare sicuti iustum est ex supra allegatis, vt prouisi non ingrediantur possessionem beneficiorum sine consensu Regio, ita rationi, & iustitiæ conuenit, vt non consequantur fructus, & alia bona, quousque non habent Placitum Regium, prout de facili ea consequerentur, si penes aliam personam, quam penes Regium Oeconomū, fructus, & cætera bona conseruarentur, qua ratione assensus Regius facillimè elideretur, & seruiret de vento, quod Rex nulla ratione patietur. Tum deniq; quia, cum hæc omnia fiant à persona Ecclesiastica in dignitate constituta, cessant omnes scropuli, & omnia absurda ex aduersò ponderata. Præcipuè cum ius, non resistat, immò assistat, vt ex supra deductis abundè probatum remanet.

Nec obstant Hostien. & alij requirentes confirmationem Papæ: quia vel debent intelligi, quando laici vigore cōsuetudinis volunt manus apponere etiam in spiritualibus, vt sentit Abb. in dicto cap. vt præteritæ in fin. de elect. vel quando prætendunt fructus, & iura Ecclesiarum sibi appropriare. Quorum neutrum contingit in casu nostro, alioquin, si absolutè intelligerentur, destruerent, vt dixi dispositionem dicti cap. General. §. fi. de elect. in 6. quia accedente confirmatione Pontificia non est amplius antiqua consuetudo, sed noua concessio ex supra allegatis.

Ex quibus omnibus sicuti sufficienter fundata remanet intentio Potentiss. Regis nostri, & adæquatè sublata sunt omnia exaduersò allegata, deducta, & ponderata; ita iubendum

bendum

bendum est Episcopo Alexandriæ, ac cæteris litis consortibus, vt in posterum non abutantur clementia S. M. sed abstineant à nouitatibus, & prout pro iustitia speratur &c.